

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Frankofurti ad Moenum, 1682**

Feria II. pentecostes

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Quando superbus ille *Pharao* adversus Israëlitas insurgit, eosq; extinctum it, Dominus eum quasi plumbum submergit, in aquis vehementibus, Exod. 15. v. 10.

Quando *fastuosus ille Senacherib* ecclesiam planè deletam cupit, ponit ei circumum in naribus ejus, & reducit eum in viam, per quam venit, Esa. 37. v. 29.

Quodsi *iracundus Saulus* minas & cædes spirat contra populum Christianum, de cælo eum terret, dicens: Saul, Saul, quid me persequeris, durum tibi erit contra stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

Ut breviter complectar, non est calamitas tanta, ex qua liberare ille nequeat. Propterea se exaltavit, ut videat laborem, & afflictionem nostram consideret, orphano erit ille adjutor, Psal. 10. v. 14.

Quando igitur miseris hujus vitæ immerfi sumus, semper ad Christum nos con-

vertere debemus, qui est ad dextram Dei & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Lutherus ita hâc de re scribit super Ps. 110. *Lass hergehen/stossen/schrecken/stürmen / wer stossen/schrecken und stürmen kan/und werde so böß als es immer wolte / Danoch will ich dafür bleiben / durch diesen Herren/der da regiret/und herrschet in Ewigkeit.* Quod consentit cum illo Pauli, Rom. 8. v. 31. 34.

Hoc egregium est solatium, quo nos sustentare debemus, usque ad adventum Christi, ubi & nos rapiemur in nubibus obviam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus, 1. Theff. 4. v. 17.

Id quod nobis largiri dignetur Deus ter Opt. Max. per & propter Christum, Servatorem & Dominum nostrum,

Amen.

## Feria II. Pentecostes.

*Evangeliu[m] Ioh. 3. v. 1. --- 14.*

### EXORDIUM.

**Q**uemadmodum Deus iræ suæ vehementiam *duobus modis* ostendit: *semel per universale Diluvium*, quia enim primus mundus poenitentiae locum non relinquebat, Spiritui sancto resistens, Deus pluviam terræ immittebat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & omnia, in quibus spiraculum vitæ erat in terra suffocabat, excepto Noah, & quæ cum illo in arca erant, Gen. 6. 7. cap. *Deinde per Sodomorum in-*

*pendium.* Tum enim iterum pluit Dominus, super Sodomam & Gomorrhham sulphur & ignem à Domino de cælo. Et subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia, Gen. 19. v. 24.

Ita etiam ex adverso *bisariam manifestavit infirmitatem suam misericordiam*, primo in *filiis missione.* Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, Gal. 4. v. 4. *Deinde in Spiritus sancti effusione:* quæ quin-

Xxx 3

quage-

quagesimo post resurrectionem Christi die, Hierosolymis accidit, Act. 2. v. 1. seqq.

Illa vocari potest *pluvia ira*, in diluvio quippe rupti sunt omnes fontes abyssi magna, & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est pluvia super terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Gen. 7. v. 11. Ibi verò pluit Dominus super Sodomam & Gomorrhæam, sulphur & ignem à Domino de cœlo, Gen. 19. v. 24. *Hac verò pluvia gratia*, ubi Deus etiam quidem fenestras cœli aperuit, verum non ut perderet, sed ut conservaret. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Joh. 3. v. 16. Spiritum quoque sanctum hoc sine misit:

Qui nos in arctis erigat,  
Riteq; de Deo instruat,  
In veritate ducat.

Das er uns in Trübsal trösten soll/  
Und lehren ihn erkennen wol/  
Und in der Wahrheit leiten.

*Utrumq; in scripturâ cum pluvia confertur. De Messia enim scriptum est: Descendet, sicut pluvia, in vellus: & sicut guttæ irrigant terram, Ps. 72. v. 6. De Spiritu sancti verò effusione David ita prædixit: Imbrem benignum effundis Deus super hæreditatem tuam, & quod languet, confirmasti, Psal. 68. v. 10. 12. hæc duplicia illa sunt, quæ de manu Domini suscepimus, Esa. 40. v. 2.*

Grato animo igitur accipiamus eique cantemus oportet, qui bona tribuit nobis, Psal. 13. v. ult. Psal. 103. v. 1. De visibili Spiritu sancti effusione hæsterno die actum est:

quia verò illa ex filii missione sequuta est, Majores nostri prælectum Evangelium, feriâ II. Pentecostes explicandum ordinarunt, ut memori mente tenentes beneficia hæc, nunquam illa ex animo dimitteremus.

Nos ad ipsam Evangelii explicationem nos conferemus, pro instituti ratione ex eodem delibaturi:

- I. *Ἀνθρῳπολογία*, sive *noticiam nostri.*
- II. *Χριστολογία*, sive *noticiam Christi.*

J.J.

### Exegesis.

**P**salium XVI. Psalter Regius *insigne aureolum* appellat quia in eo de beneficiis Messie, & præcipue de passione, morte & resurrectione agitur. *Multo æquius prælectum Evangelium hoc titulo insigniri potest*, in quo compendiosè totum salutis nostræ negotium continetur. Hic enim audimus de dilectione Dei patris, satisfactione filii, & de applicatione Spiritus sancti, quæ fit per fidem. Ideò verò *insigne aureolum* est, quod non modò de collo suspendere, sed & cordi ipsi includere, & in hoc glorioso ornatu exultare debemus, quasi sponsus sacerdotali ornatu decoratus, & quasi sponsa ornata monilibus suis, Esa. 61. v. 10.

*Ἀνθρῳπολογία* sive *noticiam nostri* hic discemus, si spectemus:

I. *Patrem diligentem*, qui mundum ad eò dilexit, ut proprio filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit eum. Hoc exemplum rarissimum prorsus est.

Deus est *ens infinitum*, excelsior cœlo, profundior inferno, longior terrâ mensura ejus, & latior mari, Job. 11. v. 8. unde ipsum cœli

caeli caelorum capere non possunt, 1. Reg. 8. v. 27. Nos homines verò respectu ejus quasi stilla situla, & quasi pulvisculus statera reputati sumus, Esa. 40. v. 15. Attamen hic infinitus Deus, nos gratiosè respexit, & cum in peccata incidissemus, filium suum ad nos redimendos misit. Quis hinc non stu- peret, dicens cum Davide: Quid est homo, quod memor es ejus, Psal. 8. v. 5.

*Ens liberrimum:* Omnia quæcunque vo- luit fecit, in caelo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, Psal. 135. v. 6. quod igitur mundum tantopere dilexit, id fecit ex inde- bita gratia & misericordia, quæ diluculo nova, Thren. 3. v. 23. & super omnem car- nem, Sir. 18. v. 12. Os. 11. v. 8. 9.

Deus est *ens optimum*, quantus enim ipse est, tanta est ejus misericordia, Sir. 2. v. 23. hinc Servator: Nullus est bonus, nisi Deus unus, Matth. 19. v. 17. quæcunque igitur ab eo proveniunt, omnia bona sunt, five sint bona, five mala, five vita five mors, five paupertas five divitiæ, Sir. 11. v. 14. Deum enim diligentibus omnia in bonum cooperantur, Rom. 8. v. 28.

Deus est *ens perfectissimum*, qui suffici- entiam habet in seipso, El Schaddai, Deus mamillarum, Genes. 17. v. 1. Esa. 66. v. 11. qui cuique vitam & abundantiam largitur, Joh. 10. v. 10. Sed nec ullius creaturæ indi- get: Num Deo prodest vir? num illi prodest intelligens? quærit Eliphaz Themani- tes, Job. 22. v. 2. attamen miseriam nostram ad cor sibi revocavit, & adeo dilexit nos, ut filium suum tradiderit pro nobis in mor- tem, unicè propterea, quo servi redinte- rentur, quasi sine nobis beatus esse non posset, cum tamen caelum Angelis & Archangelis redundaret, à quibus suffi-

cienter & pro dignitate laudari & celebrari potuisset. Meritò igitur hic iterum exclamamus; quid est homo, quod memor es ejus? Psal. 8. v. 5.

*Hic scrutare te, mi Christiane! utrum hoc unquam rectè agnoveris, Deo, tuo pro ar- dentissimo hoc amore gratias debras e- geris?*

Cum claudus pedibus Mephiboseth gra- tiam reperisset coram Davide, ut ille dice- ret ad eum: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam, propter Jonathan pa- trem tuum. Ille adorans eum dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei? 2. Sam. 9. v. 7.

Nos miser ille Mephiboseth sumus, na- turà claudicantes, quando in viis justitiæ ambulare debemus: quia peccata adeo nos deformarunt, ut cani mortuo similes si- mus, in oculis Dei: quemadmodum enim à cane mortuo oculos avertimus, & nasum comprimimus: ita peccata diviserunt inter nos & Deum nostrum, Esa. 59. v. 2. ut faciem suam avertere à nobis potuisset, Esa. 1. v. 15.

Verùm hoc non fecit, sed in filio suo nos gratificavit, ut panem in mensa ejus comedere, & ipsi in filios & filias esse debeamus, hic & in æternum, 2. Corinth. 6. vers. 11.

Gratà igitur mente hoc revolvamus, di- centes cum Jacobo: Minor sum Domine, cunctis miserationibus tuis, Gen. 32. v. 8. Non est enim bene beneficia non compen- santi, Sir. 12. v. 3.

Verùm quam parum id observetur, ex- perientia proh dolor! testatur: Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, Os. 4. v. 1. 2.

Hæ

Hæ gratiæ illæ sunt, quæ Deo pro inextinguibili beneficiis suis rependuntur, ut non immeritò querelam Esaia ille ingeminet: Filios enutrivit & exaltavi, ipsi autem spreverunt me, Esa. 1. v. 2. 3.

Veri Christiani hoc solatio sustentent se, quod ad eò benignum Deum in cælo habeant, *cujus misericordia nos prævenit, ut sanemur, subsequitur, ut glorificemur*, Augustino dicente. Ubi enim abundavit delictum, superabundabit & gratia, Rom. 5. v. 21. 22.

II. *Filium redimentem*, qui seipsum pro nobis tradidit, Tit. 2. v. 14. factus patri obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 8. De quo ita in Evangelio: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Filius non minus promptus ad nobis succurrendum fuit, propterea ait: Ecce venio, Psal. 40. v. 8. Ad eundem modum canit Ecclesia:

Paret parenti filius,  
Humiq; venit ortu:  
Ut frater esset, virginis  
Natus decente partu:  
Virtute tectâ tunc iit,  
Formam vilem meam tulit,  
Capturus hæc Draconem.

Der Sohn dem Vater gehorsam war/  
Er kam zu mir auff Erden/  
Von einer Jungfrau rein und zart/  
Er wolt mein Bruder werden:  
Gar heimlich führt er sein Gewalt/  
Er gieng in einer armen Gestalt/  
Den Teuffel wolt er fangen.

Ita Deus cælestis pater filium suum dedit, non ut deperditos nos homunciones

modò quæreret & inviseret, ut Josephus fratres suos, Gen. 27. v. 14. nec ideo, ut sine vitæ discrimine pro nobis pugnaret, sicut Gideon pro populo suo, Jud. 6. 12. non ut debitum requireret, sicut Tobias, qui eam ob causam à parentibus suis in Rages civitatem Medorum ablegatus fuit, Tob. 6. v. 1. sed ut acerbissimos dolores & cruciatus, imò mortem ipsam pro nobis sufferret, & hoc ipso generi humano æternam redemptionem inveniret, Heb. 9. v. 12.

In V. T. sæpè Deus Salvatores suscitavit populo suo, qui eundem à tyrannide ethnicorum liberarunt: Verùm in N. T. ipse filius Dei venit, & vincos eduxit de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11.

Hoc tantum beneficium est, cui dignas referre gratias in æternum non possumus. Multa dicemus, & deficiemus in verbis: gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua, Sir. 43. v. 31. 32.

*Quilibet hic seipsum probet, quàm gratum se exhibuerit, & utrum Christum, unicum mundi redemptorem agnovit, dilexerit, & honoraverit?*

Hoc ipsa rei æquitas requirit, gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam, ait Siracides cap. 29. v. 20. Ita & Christus fidejussor noster factus, reipsâ comperit, quod in Proverbio dicitur: *Sponde, noxa præsto. Bürgen soll man türgen/ dum quæ non rapuit, exsolvit*, Ps. 69. v. 5. Ideoque beneficii hujus nunquam immemores dicamus cum Paulo: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, Gal. 6. v. 13. Quod enim ad eò promptè se pro nobis tradidit, hoc ipso declaravit nobis:

1. *Suam clementiam*, per omnia enim no-

nobis assimilatus est, excepto peccato, Heb. 2.v.17. Deut. 33.v. 3. Prov. 8.v.31.

2. *Suam potentiam.* Est enim leo de tribu Juda, Apoc. 5.v. 5. cui tantum fortitudinis, roboris & virtutis, ut neque unum deficiat, Esa. 40. v. 26.

3. *Suam opulentiam.* Ejus est argentum, & ejus est aurum, Hagg. 2.v. 9. de manu ejus omnis copia est, & ejus sunt omnia, 1. Paral. 30.v.15. Prov. 8.v.18.

4. *Suam patientiam,* cum malediceretur, non maledicebat, 1. Petr. 2.v.23.

5. *Suam diligentiam.* Moses olim tanto studio redemptionem Israëlitarum procuravit, ut non ungula remanserit, Exod. 10.v. 27. Sic Christus perfectum *λυτρον* exsolvit, non modò pro electis: sed pro omnibus omninò hominibus, 1. Joh. 2.v. 2. nihilq; ei gratius foret, quàm si omnes beneficiis ejus partes per fidem fruere-  
tur, hinc clamat: Respicite ad me, & salvi eritis, omnes fines terræ, Esa. 45. v. 22. Ezech. 33.v. 1.

His proprietatibus cum Servator instructus sit, non alium expectemus, sicut Judæi, Matth. 11. v. 3. nec alios insequamur, utpote Mariam, Franciscum, Dominicum, sed confidenter ad eum accedamus, cum Ecclesiâ canentes:

Te Christe Jesu sola spes,  
Respectat hac in terrâ:  
Solus mihi solator es,  
Medela prostat nulla.  
Nil exstat à primordio,  
In orbe nullus est homo,  
Qui possit adjuvare me,  
Imploro te,  
Qui sola spes fiducia.

Allein zu dir / Herr Jesu Christ!  
Mein Hoffnung steht auff Erden:  
Ich weiß / daß du mein Tröster bist /  
Kein Trost mag mir sonst werden.  
Von Anbegin ist nichts erkorn /  
Auf Erden war kein Mensch geborn /  
Der mir auß Nöthen helfen kan /  
Dich ruff ich an /  
Zu dem ich mein Vertrauen han.

Sed bipedum nequissimi meritò habendi sunt, qui ita beneficia Dei, quod sibi filium suum largitus est, rependunt, ut avaritiæ, temulentia, blasphemii, scortationibus aliisq; nefandis sceleribus se dedant. Certè Dominus aliquando defessus erit misereri, Jer. 15.v.6. & confringet capita illorum, Psal. 68.v.22. Sir. 5.v.7.

III. *Mundum in malo jacentem.* Ita enim Deus dilexit mundum, quo non intelligitur *cæli & terra machina.* Illa enim ignis ardore liquescit, 2. Petr. 3.v.12. sed homines in mundo habitantes, ne ullo excepto, sicut in peccatis concepti & nati sunt, Psal. 51.v. 7. & ut naturâ filii iræ considerantur, Eph. 2.v. 3.

Quod si Deus ex rigore justitiæ nobiscum agere voluisset, nihil aliud promeriti eramus, quàm ignem infernalem, sulphur, picem: Verùm nihilominus ille mundum dilexit, & quidem adè, ut filium suum pro eo dederit. Quis hîc non cum Mose exclamaret: Dilexit populos, Deut. 33.v. 3. Hoc ipso enim commendat Deus caritatem suam erga nos, quod Christus, cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est, Rom. 5.v.8.9.

*Hic te examina, mi Christiane! ubi sis & qualis sis, & solatio hoc eò magis reficiaris.*

Y y

An

Annon es in mundo? Utique in mundo, ubi experiris, quod Christus ait: In mundo pressuram habebitis, Joh. 16. v. ult. Annon pars mundi es? utique mundi pars, hominis filius, & terræ gleba. Ideoque hinc eximere te nequis, quin mundum in te sentias. Et licet te Christus elegerit de mundo, Joh. 15. v. 19. Tamen cum Paulo tibi lamentandum: Scio, quod in me, hoc est, in carne meâ, bonum non habitat, Rom. 7. vers. 18. 24.

*Itcirco consolatio hæc ad te quoque pertinet.* Qui mundum dilexit, te quoque dilexit, & per filium suum in gratiam recepit. Ne, proinde indignitas tua te absterreat. *Displicentes amari sumus, ut esset unde placeremus,* ait Augustinus.

Quod si Deus dignitatem respexisset, aut eam expectasset, nullus peccatorum, quamdiu mundus stetit, in gratiam receptus esset. Prospexit enim Dominus de cælo super omnes filios hominum, & omnes declinaverunt, Psal. 14. v. 3.

Ideo illud Pauli hic locum habet: *Gratiâ salvati estis per fidem, idque non ex operibus, ne quis gloriatur,* Eph. 2. v. 8. 9.

Et hæc *gratia universalis* est, à qua nemo excluditur, nisi qui seipsum excludit per incredulitatem & impœnitentiam. *Universalis est gratia Dei patris,* totum enim mundum dilexit, & miserationes ejus, super omnia opera ejus, Psal. 145. v. 9. *Universalis est satisfactio filii.* Factus enim est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2. *Universalis est prædicatio Evangelii,* ubi dicitur. *Dei te patris, omnes sitientes venite ad aquas,* Esa. 55. v. 1. *Omnes qui laboratis & onerati estis, venite ad me, ego reficiam vos,* Matth. 11. v. 28. co-

dem modo jussit Apostolos suos prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. v. 47.

Verum à parte hominum particularitas occurrit, utpote, qui gratiam oblatam rejiciunt, & venire nolunt, quando ad cœnam magnam invitantur, ut Christus ipse docet, Matth. 22. v. 14. Luc. 14. v. 24.

Ideo optimum consilium & remedium est, ut agnoscas indignitatem tuam, gratiæ divini confidas, & firmâ fide meritò & dignitati Christi te includas, sic dilectione Dei, & redemptione Jesu Christi fruëris in æternum. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

### De Secundo.

**P**rogre diemur nunc ad alteram partem, *2. 15. 07. 1001. 24.* sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis in Evangelio præsentate commendatur:

I. *Tanquam Filius Dei unigenitus.* Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.

Hoc titulo insignitur

1. *Ratione personæ,* quia cum Deus ab æterno ex essentiâ suâ genuit. Hinc ipse ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* Psal. 2. vers. 7.

Deus noster aliàs multos filios & filias in mundo habet, *angeli sunt filii ejus,* quia eos creavit, Job. 38. v. 7. *Credentes sunt filii ejus,* quia eos in Christo in filios adoptavit, Joh. 1. v. 12. *Christiani magistratus sunt filii ejus,* quia eis munus suum concredidit, Psal. 82. vers. 7.

Sed hic *naturalis, unicus & unigenitus* filius est, qui est in sinu patris, Joh. 1. v. 18.

image

imago Dei invisibilis, splendor gloriæ & character substantiæ ejus, Col. 1. v. 15. Hebr. 1. v. 3. verbum Patris, Joh. 1. v. 1. & Dominus Dominantium, Apoc. 19. v. 16. quini- mō Deus super omnia benedictus in secu- la, Rom. 9. v. 5.

Quàm difficile Patriarcha Jacobus ad- duci poterat, ut ad liberationem filii sui Simeonis, alium videlicet Benjamin, quem Josephus desiderabat, & quidem ad breve tempus dimitteret, qui tamen plurimis fi- liis, iisq; ex parte non adeo frugi instru- ctus erat, Gen. 42. v. 16.

Verùm pater cœlestis unigenitum suum, cumq; dilectissimum filium: ultrò & læ- tanter tradit, quis hinc non agnosceret di- vitias bonitatis ejus, exclamans cum Sira- cide: Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se, c. 18. v. 28.

2. *Ratione sparsa*, hinc enim iterum ma- net unigenitus, & unus ille mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. Et non in ali- quo alio salus, Act. 4. v. 12.

*Quodsi igitur peccata tua te angunt*, à quibus liberari cupis, verà te fide conver- te ad hunc unigenitum Dei filium, hic so- lus torcular calcavit, Esa. 63. v. 3. & peccata nostra pertulit in corpore suo super li- gnum, 1. Petr. 2. v. 24. Ideo ait ipse: In me- metipso juravi, Esa. 45. v. 23.

*Quodsi advocato indiges apud Deum*, non alios quære, sed rectà ad hunc unige- nitum Dei filium perge, quem nobis Deus proposuit *ἱλαστήριον* in sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25.

*Quodsi calamitatibus immersus es*, non Angelos, aut Sanctos demortuos invoca, sed nomen unigeniti filii Dei, & certissimè liberaberis. Amen, Amen dico vobis, si

quid petieritis patrem in nomine meo, da- bit vobis, promisit ipse Servator, Joh. 16. vers. 23. Verbo: *Omnia Jesus nobis est*. Beatus homo, qui sperat in eo, Psalm. 84. vers. ult.

*II. Tanquam illuminator mundi beneficus*. Ipse namque ait: Hoc est autem judi- cium, quia lux venit in mundum, & di- legerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim eorum mala opera.

Ante adventum Christi, *totus mundus in tenebris jacebat*:

1. *Propter summam cœcitatē*. Nullam enim notitiam Dei, neque verbi ejus habe- bamus, sed euntes eramus ad simulacra mu- ta, prout ducebamur, 1. Cor. 12. v. 2. mu- tantes gloriam incorruptibilis Dei, in si- militudinem imaginis corruptibilis homi- nis, & volucrum, & quadrupedum & ser- pentum, Rom. 1. v. 23. ideo de gentilibus dicitur, quod habitaverint in tenebris, & in regione umbræ mortis, Esa. 9. v. 2. tene- bris obscuratum habentes intellectum, a- lienati à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ in illis erat, propter cœcitatē cordis ipso- rum, Eph. 4. v. 18.

2. *Propter delictorum pluralitatem*, quæ ubique invaluerant, imprimis verò comef- sationes, compotationes, & nefarii simu- lachrorum cultus, 1. Petr. 4. v. 3. hæc mera opera tenebrarum erant, ut Paulus ea appellat, Rom. 13. v. 12. *primò idèò*, quia à nemine alio originem habent, quàm à Diabolo, qui princeps tenebrarum dicitur, Eph. 6. v. 12. *Deinde & propterea*, quia po- tissimum noctu perpetrantur. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut



manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt: ut Servator hic ait. *Et tertio*, quia nihil certius sequetur, quam æternæ tenebræ, ubi erit fletus, & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

3. *Propter variam calamitatem*, quæ in scripturâ nomine tenebrarum indigitatur. Adspiciemus in terram, & ecce, tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est, in cælo ejus, Esa. 5. v. ult. Imprimis verò hæc magna miseria erat, quod omnes mortis reeramur, quæ non modo corpus, sed & animam cum corpore occidisset, nisi Christus nos redemptos in libertatem asseruisset. Hæc enim peccati stipendium est, Rom. 6. v. 23. sed subito in tempore vesperi lux facta est, Zach. 14. v. 7. subito & inopinatè de tenebris erepti, in regnum lucis transpositi sumus, 1. Petr. 2. v. 9. à Domino factum est istud, & mirabile est in oculis nostris, Psal. 118. v. 23. Mundus hanc lucem flocci æstimat, ideoque manet in tenebris, & tandem, nisi resipuerit, in æternas tenebras mittitur, ubi erit fletus & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Nos verò ex animo lætemur, quod nos Deus per Christum è tenebris his liberatos, idoncos fecit in partem fortis sanctorum, in lumine, Col. 1. v. 12.

Cicero scribit de monte *Æthnâ in Sicilia*, quod aliquando tantum ignis & favillæ eructaverit, ut alter alterum in viciniam per biduum conspiceri non potuerit. Et postquam tertio die sol illuxerit, non aliter illis visum fuerit, quam si à mortuis resurrexissent, & denuò vitâ donati essent.

Nos omnes, Dilecti! antehac miseri Japhitæ & ethnici fuimus, qui non modo biduum, sed multos centenos annos solem justitiæ Christum Jesum non vidimus. Ideo

gratias Deo agamus, quod nos ad tempus N. T. reservaverit, ubi salutifera gratia Dei omnibus hominibus apparuerit, Tit. 2. 17. & omni studio enitatur, ut in luce ambulemus, dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant, Joh. 12. v. 35. 1. Joh. 1. vers. 8.

Hic *certissimum* sequitur *solatium*.

Subinde fit, ut sol nobis occidat, sicut Jacobo, Gen. 28. v. 11. h. e. variæ afflictionum nubes exsurgunt, quæ consolationis lucem obnubilant, ut in tenebricosa valle mortis nobis ambulandum sit, Psal. 23. v. 4. aut tantis malis immergamur, ut quomodo emergamus, non videamus, sicut Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12.

Sed confidite, Dilecti! Servator noster est lux mundi, idè non semper in tenebris nos relinquet, sed tandem erit, *post nubila Phabus*, Psal. 97. v. 11.

Hæ sunt vicissitudines, quibus nos miseri homunciones in hac miseriarum valle subiecti sumus. Veluti enim dies & nox semper alternantur. Ita & letitia & tristitia fors prospera & adversa, Prov. 14. v. 13.

In vita æterna verò non amplius erit transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, Jac. 1. v. 17. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem & c. Esa. 60. v. 19.

III. *Tanquam os tenebrarum certissimus*. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Et hoc ipsum judicium est, per quod se in æternum exitium præcipitant. Hinc etiam est, quod peccata in genere *opera tenebrarum* vocentur, idq; ob tres potissimum causas:

1. *Ratione principii*. Quia à Diabolo oriuntur, qui princeps tenebrarum dicitur,

tur, Eph. 6. v. 12. Sicut enim omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum, Jac. 1. v. 17. ita ex adverso omnia peccata & flagitia à diabolo derivantur, qui pater mendaciorum est, Joh. 8. 44. & qui facit peccatum, ex diabolo est, 1. Joh. 3. 8.

2. *Ratione exercitii.* Quia plerumque in tenebris perpetrantur: Mane primo confurgit homicida, Job. 24. 14. 15. eadem ratio aliorum peccatorum est. Cum enim homines dormiunt, venit inimicus, & superfeminat zizania in medio tritici, Matth. 13. 15.

3. *Ratione supplicii.* quia tandem hominem, qui in iis perseverat, in aeternas tenebras præcipitant, ut abeat ad progeniem patris sui diaboli, & usque in aeternum non videat lucem, Psal. 49. 20.

Genuini Christiani fugiant hæc tenebrarum opera. In V. T. Judæis prohibitum

erat, ne comederent *nocturnam*, nec sacrificarent illam, Levit. 11. v. 16. Hoc ipso Deus nihil aliud innuere voluit, quam quod *corvili nocturni*, qui in operibus tenebrarum delectantur, ad regnum suum non pertineant, sed in regnum tenebrarum, ex quo nos Christus liberavit, 1. Pet. 2. v. 9.

Quia igitur hoc nobis exploratum est, quod Christus opera tenebrarum odio habeat, nolite communicare illis, Eph. 5. 11. sed lucete, in medio nationis pravae atque perversae, sicut luminaria in mundo, Phil. 2. v. 15. sic aliquando fulgebitis, quasi splendor firmamenti, Dan. 12. 3. & sicut sol in regno Patris, Matth. 13. v. 43.

Hoc ipsum nobis largiri dignetur Deus Opt. Max. per & propter Christum, Dominum & Servatorem nostrum, in Spiritu S. Amen.

## Feria III. Pentecostes.

*Evangelium, Joh. 10. v. 1. -- 10.*

### EXORDIUM.

**C**UM Deus Philistiim, qui appropinquaverant ad pugnandum contra Israel, fragore tonitruum exterruisset adeo de cælo, ut caesi essent à filiis Israel: Tulit Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphath, & inter Sen; & vocavit nomen loci illius, Ebenezer, h. e. lapis adjutorii, dixitque, hucusque auxiliatus est nobis Dominus, 1. Sam. 7. 10. 12.

Nos, Dilecti! similiter per Christum præclaram victoriam obtinimus contra infernales Philistiim: *In cruce enim clamavit:*

Consummatum est, Joh. 19. v. 30. *In resurrectione sua:* Noli timere: ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus: & ecce, sum vivens in secula seculorum, Apoc. 1. v. 17. 18. *In ascensione sua:* Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum, Joh. 20. v. 17. estote bono animo: In domo patris meae mansiones multae sunt, Joh. 14. v. 2. *In festo Pentecostes* Paracletum Spiritum Sanctum misit, & linguarum ignitarum specie super Apostolos effudit, Act. 2. 3. Hæc omnia in nostrum

Yyy3

cmo